Illustriss. Clariss. Eruditiss.

D. ANTONIO MAGLIABECHIO

COSMI III. Magni Ducis Hetruriæ Bibliothecario

THRENODORVM CARMINA

In Obitu Clariss. & Doctiss. P. P.

Godefridi Henschenij, Ioa. Garnerij Soc. Ies.
Christiani Lupi Sancti Augustini,
Francisci Macedo Min. Obs.
Et D. Iacobi Caphareltj Bibliothecarij Emin.
Armandi Card. Richelij Anno 1681.



MASSÆ, M. DC. LXXXI.

Typis Hieronymi Marini. *Sup. permissu.*

Illustriss. Clariss. Eruditiss.

D. ANTONIO MAGLIABECHIO

COSMI III. Magni Ducis Hetruriæ Bibliothecario

Qui cum luctuosa priùs Parcarum inconsolabilis fata suscepisset, hos deinde celeberrimis pariter, Doctissimisque Viris, sibi carissimis vita functis Amicis colligi, darique piè ingemuit, suo Nomini consecrandos, in lucem Threnos

EPIGRAMMA

Francisci Berrettarij Carrariensis.

FElix; qui firma, ANTONI, per fœdera, tecum
Dulcis Amicitiæ sorte venire potest!
Nescit enim è Parcis Obliuia temporis vnquam,
Quin rediuiuus habet Nomina, dum moritur.
Qui legit intereà, quæ sunt collecta, parentet,
Nec parcat lacrymis Iubila mista ferens;
Sic saltem hos recolens, celebri te funere functis
Cum Doctis Doctum discat amare pium.

Illustriss.

Illuſtriſs. Clariſs. Eruditiſs. D.

D. ANTONIO MAGLIABECHIO

Magni Duciș Hetrurię Bibliothecario.

In infauſtum Mercurium triũ.nuper mortuorum

Clariſs.P.P. { Franciſci Macedo Min: Obſ.
Godefredi Henſchenij : Io:Garnerij Soc.Ieſ.

ODE LVGVBRIS

P.Bonauéturę Baronis Hyberni Clonmel.Serap.Or.Min.Obſ.
Theologi, & Hiſtorici

Sereniſs. COSMI III. Magni Ducis Hetruriæ.

QVàm concitato vectilis impetu
Iam proxeneta eſt per fora, per plagas,
Notiſque lectis, Singraphiſque ut
Tergeminæ male præco mortis?
Vt fata maggis aſpera Manibus
Audent ſupremos fundere vertices,
Et falce lunata ferire
Ingenij monumenta ſacri.
Iam cedo fictis denique fabulis,
Proboque Vatum ſomnia, qui canunt,
Humanitatem vellicantes
Tres pariter ſimul ire Parcas,
Vixere Muſis nuper idonei
Tres eminentis partubus indolis
Fœti: Sed inuerſa colo iam
(Proh) totidem ſibi buſta ſternunt.
Macedo quondam Loyoladum Scholæ
Alumnus, armis aptus, & artibus;
Ad caſtra Diui Aſſiſiatis
Flexit iter, Minor eſſe malens.

Romana posthæc rostra valentior
Pressit docendo; nunc premitur solo,
Et cœspitis vulsi ruina, ac
Sarcophagi tabulis: Et ille
Sublimis alti molibus ingeni,
Annaliumque structor Ephemerus.
Vitæ fatiscentis supremam
Iam patitur Godefredus vrnam.
Non ille solus, sed neque simplici
Achate cinctus; Tertius (ah dolor)
Garnerus accedit, sinistra
Ire comes lateri coactus
Garnerus altis dives honoribus,
Intaminatæ lumine gloriæ,
Voluminum nixu precatus
Purpureum, niveumque sertum.
Non pœnitendis iste doloribus
Cordis medullas, lumina lacrymis,
Tam seriò Te lancinantem,
MALLIOBECE, fer orbitatem.
Et Tu disertis, qui modo Carmine
Vmbris parentas, disce sequi tuorum Obiecta Threnorum, caducę
Doctiloquam Baro Trinitatem.

EIVSDEM EPIGRAMMA.

De Eruditiss. R. P. Godefredo Henschenio Hagiographo insign.

Ecce Vir, ecce stylus, qui tot labentibus annis
Sanctorum nobis protulit Historias.
Non mora, non sumptus, sed nec labor obstitit vllus,
Quo minus has Orbi det Godefridus opes.

Qui

Qui Fastos Diuûm legit, scripsitque beatos;
In Fastis Diuûm nonne legendus erit?

EIVSDEM ALIVD

De veterum renouatore Eruditiss. R.P.Io:Garnerio Soc. Ies.

ECce vetustatis per nocta secula vindex,
Proditor Eutechij, Nestorijque flagrum:
Cui Marius Mercator opes; cui Roma diurnum
Lumen: Carthago debet opaca diem.
Ni cita Luciferum rapuissent fata Ioannem,
Acciperet lucem cæca senecta suam.

EIVSDEM ALIVD

De Doctiss.P.Francisco Macedo, qui duobus facit societatem.

IBat ad Elysios Henschenius accola campos,
Sed nolens solus, quia sociandus, ait:
Iste Macedo olim socius fuit: at modo non est;
Garnerus constans estque, fuitque: aio;
I bone; nec lanæ nimium, neque crede colori;
Iste Macedo intus statque, stetitque tuus.

Illustriss. Clariss. Eruditiss. D.
D. Antonio Magliabechio Magni Ducis Hetruriæ
Bibliothecario.
Franciscus Berrettarius Carrariensis
S. P.

In Obitu Clariss. P. P. { Gofridi Henschenij, Io: Garnerij Soc. Iesu, Christiani Lupi S. Augustini, Francisci Macedo Min. Obs.

Et D. Iacobi Capharelij V. Clariss. Bibliothecarij
Card. Armandi Io: Plessis Richelij.

HEV heû quos gemitus, inopinaque tempora curis
Versa tibi subito, chartisque, ac voce parauit

Nuncius, Antoni, fati lacrymabilis! Ergo
Quattuor extinxit clarissima lumina paruo
Atropos intuitu vix tervè; quatervè Dianæ
Conuersæ ad fratrem, spatioque angusta supremo
Spemque, Tuique tulit dilecta ea pignora amoris,
Lætitiamque mihi; nanque Aegide turbida Pallas
Templa, simulque nigro penitus funestat amictu
Limina: Quò peraget, sumetque animosa iuuentus
Præsidium? Quò facta sibi momenta Professor?
Quò Tyro responsa frequens? documenta? nec expes
Amissis repetet consulta ex arte Magistris?
Non desiderio, non re modus, vlla dolore
Non requies, refugis non pax reperitur ab Vmbris
Magnorum Capitum. Sunt ij, quibus integra virtus
Colligitur, mæstoque recens Europa tumultu,
Has nempè haud vlla similes ætate gregatas
Vidisse, & Christi pro Relligione, suique
Doctrina rerum exposita, pactisque laborum
In lucem cumulis, Scripturarumque maniplis
Diuino cultu, nec acumine dispare mentis
Tota sonat, latèque vagans diffundit vbique
Produxisse Animas. Si sacra, ac sancta requiris
Numina, non aberunt: misto conspersa relucent
Eloquio, nec Musa pedes ingrata recurrit:
His ea continuò Probitas, vitamque per omnem
Intemerata fides; nec non amor vnus honesta
Pauperie, ac sola exacta mercede laboris
E superum manibus, quod habet, pluit æthere munus?
Hanc propter sæuo raptam discrimine sortem
Obstupet attonitum, queritur, tacet omne Lyceum.

Cerne ſed ò, quanto inſultet Libitina, grauetque
Plus Ignatiadas! qui cum ſolidaſſe putantur,
Interrupti onere in medio per Clauſtra Gofridum,
Garneriumque, (velut quos iam ſtatuere Columnas,)
Depoſuiſſe vident. Nanque illi adamantina moles
Dum ſuper Hiſtoriam, Sanctorumque Acta diſertis
Fortè laborabat Faſtis, neque ſegnior iſte,
Deque ſui ſtudioſi operis viridante Smaragdo
Tardior antiquis retrahebat honoribus olim
Mercatoris opus, tùmet pius inde fateri
Tute quidem poteris nulli pietate ſecundus,
Quàm ſuperis, gratuſque labor mortalibus ipſis
Accideret: fierique palàm quo tempore nobis
Commodiorę, vetus quæ condita ſcripſerat Auctor
Errorum tenebris, nec non reuoluta tot æui
Turbinibus rerum, poſtquam nunc conſtat & illos
Illuxiſſe dies, cum qui deterſit aperto
Luminę perſpicuum Lumen; nec Legibus vllos
Diſcordes Fidei ſenſus dedit eſſe duabus.
Ecce ſed Artifici dum multa vtrique ſedebant
Incrementa, ſubit, geminoque intercipit auſo
Vitalis fabricæ Lapidem Mors impia, dura,
Crudelis; rurſumque furens, atque acris eodem
Improuiſa modo, præceps, pede ſæua citato
Congreditur feſſo, & miti fremit inſtar ad Agni
Coniurata Lupo. Ah quantum famoſa Louani
Ex Auguſtini Athleta decorante Palæſtra
Porticus! Ah fartam donis cumulaſſe Mineruam
Quantum oſtentabat Cathedras, operoſaque plenis
Dogmatibus, decoriſque ſui manifeſta ferebat!

Abstulit illa tamen, finem latura supremis
Fletibus, atque satis populata in viscera flammis
Fortè videbatur falcem satiasse trophæis;
Cum tandem benè olente soror redimita Cupresso
Astitit, ac subitò lenis retrocessit, & Vmbram
Illius amplectens, quem primum strinxerat, inquit:
Vltimus ingrederis, Francisciadumque Minorum
Maior præda, ingensque dolor, (sic Fata ferebant,)
Victima terrarum cadis immortalis in Orbe
Egregius Macedo; quapropter digna parari
Aequalem sumptum, pretiumque augentia rebus
Præmia tergemini spolij tibi credita bustis
Esse suis. Per me (potis es) tua Pagina fertur
Multiplicasse Typos, vt prodigiosa, vigensque
Quæ sitis fuerat semper Mens viuida longo
Horarum spatio de re quacunque petissent
Argumenta viri. Sed quamquam ego feruida Clotho
Huius inexhaustum (saluat fuga nulla, sed angit)
Haud Anima immemori potui subuertere corpus;
Exuat ipsa quidem, fatisque intenta secundis
(Arbitrio quidquid fuerit) vulgare per Orbem
Fæcundis Cerebri ditatam frugibus Arcam
Exitio sine fine graui conabor ad æuum.
Rhetoris, Historici, Vatis celebreris amicus
Victor vbique decis; quò plus vastissima tellus
Ex non ignota Monstrum regione, nec impar
Longe admirandum, rerumque indagine plenum
Iudicio haud quaquam simili, celerique labore
Ediderit, facilique habitu, sensuque profundo
Sic efficta Animam penetrat, sequiturque sequentem:

Heu sed agit, crescitque dolor! Tam tristè, diuque,
(Liuida progenies, & inexorabilis,) vnde
Coniurastis? adhuc luctus superadditur, & fit
Per te nobilior, fidoque sacratus amico
Carior, vt lacrymas pro quinto funere solui
Fama Caphareliô mecum debere volutat:
Fama eadem; per quam ingens Bibliotheca superstes
Magnanimi Armandi, ac docti monimenta Iacobi,
Inter Inauditum, & diuina Oracula rerum,
Gymnados Hebraicæ, Rabbinorumque phalanges
Effulsere omnes Orbis celebrata per oras.

Ergo ego te lacrymis, tu me cruciare vicissim
Sollicites? ferrique diu lamenta sepulchris?
Proh tua par bonitas! nulli iactura querendo
Tristior, Antoni, nullique ad funeris vsum,
Quàm tibi flebilior: sed enim neque parcior vlli,
Qui non effigies, nec adhuc spiracula vultus
Tantorum se se humani potuisse Virorum
Cernere Codicibus; nó dum sermone carentem
Perferat. Vsque animis, citra fatalis abortus
Communem culpam, quò Te solebere mæstum?
Quid frangi, gemituque premi? quid rumpere tantùm
Corda iuuat? Satis est; nam quem virtute decorum
Fama sinum, Nómenque tui præstantis, & omnem
Nobilis ingenij palmam, laudesque perennes,
Quin tua quod contra dederit præsentia signum
Eximio, meritoque gradu portauerit illis;
Illorum pariter quocunque Volumine fusum
Illicò perpetuos latè seruabit ad annos.

Eiusdem

Eiusdem lugentis Obitum Clariss. P. Gosfridi S. Iesu.
Eidem Illustrissimo D. Antonio Magliabechio,
Cui ab Eruditiss. P. Daniele Papebrochio S. Iesu
Vita D. Antonini Archiep. Flor. dicata fuit.

EPIGRAMMA.

CVM vidua, Antoni, gemerem super Acta Gosfridum,
Mox tua fama oculis obuia facta meis;
Vtque Antonini summa cum laude remissum
Libaui Nomen, Teque praeire, stati:
Se (dixi) hic minuit cunctis Virtutibus auctum,
Hinc tu quò melius glisceret, hinc Daniel.
At duo cum laudat pariter laudabilis vnus,
Mutuat alterius gloria quenque suum.

EIVSDEM ALIVD

Clariss. P. Io: Garnerio Soc. Iesu.
Cui cū Illustr. D. Antonio mutua fuere vincula beneuolentiae.

DVM tratinas, Garnere, stylo, dum mente laboras,
Nec finis, vt pereant scripta vetusta Mari:
Dumque animo, dignamque Antoni amplecteris ore,
Et seruas docti doctus Amicitiam;
Non sanè his tantùm: meliùs Tibi consulis omnem
Ex aeui tenebris lucis habere diem.

EIVSDEM ALIVD.

Eidem Illustriss. Eruditiss. D. Antonio Magliabechio.
De prodigiosa memoria Doct. P. Francisci Macedo Lusit. Min. Obs.

ME frustra, Antoni, in lacrymas, obeunte Macedo,
Protrahis; huic postquam fit pia Parca seni:
Quin eadem casus tandem, tristesque labores
Colligit, ipse diem quos tulit ante suum.
Nempè queror, quòd Codicibus, quot congerat Orbis,
Mentis inexhaustae Bibliotheca perit. Eiusdem

Eiusdem Epitaphium

Pro Clariss. P. Christiano Lupo Ord. S. August.

QVAE Lupus ingenio rerum monumenta vorauit,
Ad Famæ Ingluuiem, Morte premente, vomit.

In Obitu Eruditiss. P. Godefridi Henschenij Soc. Iesu

Scaldis Prosopopœia

R. P. Vincentij Claria eiusdem Soc.

PRomeritum Pylios Henschenum vincere Soles
Hoc raptum fleuit murmure Scaldis Amor.
Aeternam Superis pepetere volumina famam
Signasti calamo quæ, Godefride, pio.
Diuorum Fastis curasti operosus honorem;
Hinc Diuis Fasti sunt in honore tui.
Librorum Nidos implesti mille, sat vnus
Non commendarit tot Monimenta Liber.

EIVSDEM ALIA.

NON capit Indigetes Meritorum obliuio, Cœli
Flumina Lethæis non temerantur aquis.
Scripsisti bene de Superis; quæ præmia? Diuûm
Adscriptum Diui Te voluere choris.
Quem Cœli Ciuem adscripserunt agmina, castus
Scribentis calamus, castaque Vita fuit.
Nunquam deberet, vel serus obire, saluti.
Commoda qui scribit, Flagitiumque necat.
Is pereat Scriptor, cuius neglecta Papyrus
Lectorem plus, quàm lecta iuuare potest.

Ad Illustriss. Clariss. Eruditiss. D. Antonium Magliabecchium.
Magni Ducis Hetruriæ Bibliothecarium.

De obitu quattuor Doctiss. P. P. vno Anno, nempè
Francisci Macedo Lusitani, Io: Garnerij ex Gallia:
Christiani Lupi, & Godefridi Henschenij ex Belgio.

EPIGRAMMA.

Excel. D. Federici Nomij I.V.C. in Lyceo Pisano Prof. et Sap. Rect.

QVattuor Orbe Viros Terrarum hic abstulit Annus,
 Ex quorum Pallas lumine lumen habet.
Quàm meritò indoluit casus Europa per omnes
 Ingenui fusos corporis orba plagas!
Quando alium Lusitani potest reparare Macedo
 Gens? quando similem Gallia Garnerio?
Ingenio fortasse pares det Belga; labore
 Henschenium æquabit, Relligione Lupum?
Arte sua, Antoni, naturæ industria tales
 Vix post longa solet sæcla polire Viros.

ALIVD EIVSDEM.

Doctiss. P. Franciscus Macedo annis maturus, & meritis in litteraria Rep. cumulatiss. moritur.

POST varios casus, sæuæ post vulnera sortis,
 Forti gesta animo, vel superata pio,
Ad sua Cylleni remeauerat astra Macedo,
 Annis iam plenus, plenior at meritis;
Quum doluit Pallas fatum, & suprema Tonantis
 Murmure tecta petens, sic ait ante Iouem.
Sors ego vna agitat nullo discrimine in Vrna
 Omnes? quid iam vltra nos coluisse iuuat?
Ergonè Lethæis misceri debuit vmbris
 Vir æquo tute Poli vindice in arce tonas?
Quid superstanti? Sin vlli stata labori
 Præmia sunt, Casus iam tua Sceptra regat.
Olli subridens Pater; iras comprime, dixit
 Natam ex mente Iouis non decet iste furor:
Corpus fata trahunt; Animi monumenta Macedo
 Elatum ad Superos, composuere Dijs.

Quæ in terris docuit, cecinitque, haud eximet æuo
Illa dies memori; Hæc seruat Imago Viros.

Epitaphia Doctiss. & Clariss. P.P.
Francisci Macedo Seraph. Min. Obser.

Liuor abi: Macedo non vixit, scripta perennia
Dant illi æternum viuere: Liuor abi.

Christiani Lupi S. Augustini.

Ergonè acerba Lupum rapuit Mors? Fallor, apud nos
Quisquis enim vixit tàm benè, non moritur.

Godefridi Henschenij Soc. Ies.

Sanctorum Vitas, degens, candoreque scribens
Henschenius nunquam debuit ille mori.

Ioannis Garnerij eiusdem Soc.

Qui rapere assuerat Morti tot nomina acerbæ,
Aeternum Garnier viuere dignus erat.

Auctore D. Anselmo Paiolio Cassinensi.

Illustrissimo, Clariss. Eruditiss. D. Antonio Magliabechio
COSMI III. Magni Ducis Hetruriæ Bibliothecario
Encyclopedico deploranti Obitum amiciss. sibi, & Doctiss.
P.P. Francisci Macedo Min. Obs. Christiani Lupi S. Aug.
Godefridi Henschenij, & Io: Garnerij Soc. Ies.

PARAENESIS ODE

Ioannis Mariæ Poderetti ex Monte S. Sabini Acad. Infecundi.

Ferale Plectrum, triste Piaculum,
Clio quid offers? Tristia munera
Lethi quid afflas? Nolo Threnos
Funereos, Elegosque nolo.
Rescinde textum Syrma cupressibus
Mœstis. Ego te respuo Præficam;
Solaminis posco ministram
Sollicito nimium Patrono.

Syl-

Syllanus Amnis, flebilibus comis
Funestus, vndis fata dolentibus
Arnus meas currens ad aures
Illius horribiles querelas
Testatus. Heros quo mihi dulcior
Non alter est, me luctibus asperat,
Et Naiadas funestat omnes,
Quas ego, quas Tiberis coronat.
Illum suprema, heu, damna sodalium
Voces lacessunt ad lacrimabiles;
Solandus est (obmurmurabat)
Murmur idem geminante Flora.
Tu maximorum ò maxime principum
Antoniorum, quà Tiberinides
Illustrat oras Roma: tu, cui
Sola placet Cleopatra Virtus:
AVGVSTVS est cui Cosmus amabilis,
Eritque semper, desine lacrimis
Effœminari, quæ tumentes
Arnigenas tetigere Nymphas.
Summa Tonantis mente capacior,
Non Palladem, sed quanta volumina
Sunt Palladis partus, capessit
Aula tuæ sinuosa mentis;
Inter tot vnum an non Senecam capit?
Solare tandem, quod gemitus graues
Impendit Europæus Orbis:
Nonne aliquid lacrimasse Mundum?
Saltem dolores funeret asperos
Fax, quæ præiuit nuncia splendida

Rerum,

Rerum ; Cometæ instar minacis,
    Terribili rutilans flagello.
Crinita surgens Piramis hæc Polo
Auctura flammas attonito nouas
    Præsagiebat ; quàm disertum ; &
    Nobile funus erat futurum
Tuis Amicis ? Id penetrauerat
Præsagus ; hinc te luctat Hetruria
    Longè minores quot Conones
    Græcia quot numerat Sophistas.
Pœnis acerbis obrutus ; heu, iaces !
Nec, qui obstinatas eluit efficax
    Curas in Aulis Archiater,
    Tollere te Bromius valebit ?
Ploras ? Tuis non est lacrimis quies ?
Et non adhuc est meta doloribus ?
    ANTONIVM dicam gementem,
    Qui Stoicis dominatur Astris ?
Fac Heraclitum : Democritos ages,
Qui videant te Vulgus & inquiet
    In luctuosa hæret Carybdi
    MEDICEAE Palinurus Auræ.
Luctare tecum ; Victor eris tui ;
Gaudebis alma Victor Adorea ;
    Ceu Milites belli feroces ;
    Sic homines aliquando fortes
Gaudent sinistris rebus. Amænior
Post imbrem Olympus ridet in Iride ;
    Te tanta clades, talis, heu, te
    Sentiat intrepidum ruina.

Excuso

Excuso luctum . Parte tui cares
Quarta : gemis dam funera quattuor
Carissimorum. Autumno in vno,
Vnde tuos lacrimaris imbres.
Lugere functos est minimum decus
Lugere viuos maximus est dolor
Dum viuerent in multa multis
Fragmina distribuere vitam ;
Momenta cuius plena laboribus
Egere tantis , secula vt altera
Vixisse terris obstupescant
Scibile , quicquid erat , docentes.
Constantis extat summa fugacitas
Aetatis . Est Ars longa , breuissima
Heu ; Literatis vita ; nescis
Omnia circuitu rotantis
Vim temporis ? Praeteruolat vnicus
Coruus senescens tempora lubrica ;
Et nos Olores vix in aeuum
Ducimus exiguum iuuentam.
Hinc gaude Amicos vltra tyrannidem
Aeui locatos . Deficiunt solo ,
Europa quanque illos adorans
Semideos habuisset inter .
Atqui supersunt , quos sua Dogmata
Nobis redonant ; Gloria quos beat ;
Et qui vocari desuescunt
Qui fuerant , fragiles , caduci.


MC

